

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0050

0048

0054

0044

0059

0039

0099

0149

0549

1049

Ende

Anfang

39

mandati transgressionem. O, quam bene est illis peregrinis, qui
in alio littore sunt, quam secure stant? O Domine Deus, non
me quaeso demergat tempestas aquae, neque absorbeat me
profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Et hoc
dicto crucis signo me munivi et in aquam resili fortissime,
manibus et pedibus trahens per medium fluminis, et sine im-
pedimento ad aliud littus perveni. Et statim assumto scapulari
habitu ordinis mei, singulare votum feci, quod numquam om-
plius, quamdiu in humanis ero, volo me elongare ad tantum
spatium ab habitu ordinis mei, quia ista elongatio fuit mihi
molestissima, et ipsa submersio intolerabilis mihi videbatur
sine habitu, in habitu vero multo minus curassem. Si ante
transnatationem deliberassem et factum considerassem, pro
nulla re mundi transnatasse. Scio bene, quod doctores, tam
theologi quam juristae, dicunt, quod religiosus debet tenere
habitum suae religionis, sive in lecto quiescens, sive alibi
consistens, nisi sit adeo urgens necessitas, vel gravis infirmitas,
quae habitum non pateretur. XX. q. 1.; alias peccat mortaliter.
Et si religiosus temere sine habitu appareat in conspectu
(197 A) saecularium, ipso facto excommunicationem incurrit,
ut in cap. Periculosa. et ne de. vel mo. lib. VI. In hoc
grande periculum incidi indeliberate. Porro praefatus pere-
grinus solus jam stabat, nudus, timore plenus, turbatus, facie
pallida; quidam autem Sarracenus in equo forti ascendit longe
sursum ad vadum Jordanis, et reduxit illum ad nos, cui aurum
non modicum dedit pro pretio. Ante casum illum fuit pere-
grinus ille pulcher facie, robustus, et prae sumptiosus, et liti-
giosus, et multis odiosus; sed reductus fuit nobis totaliter
alteratus, facie pallida, tremulus, humilis, obsequiosus, et
mansit semper deinceps tristis, et quasi dejectus; vix credo
eum multos annos vixisse.

Alium casum referam, cui quidem non interfui, sed a fide
dignis audivi. In anno intermedio inter meam primam pere-
grinationem et secundam navigaverunt ad terram sanctam
multi nobiles de Alemannia; quidam autem de majoribus
coquum secum duxit, qui nescius praesensit suum periculum,
per totum enim iter solebat dicere, quod nihil in illa peregri-
natione timeret, nisi Jordanem. Cumque ad Jordanem venisset

